

B. 191.

ΣΥΜΜΙΚΤΑ LIBRARIA,
SIVE
LIBRORVM RARIORVM

39

INDEX II.

SELECTIS OBSERVATIONIBVS INSTRVCTVS.

QVEM

A C T VI SOLENNI
ORATORIO

D. XXIX. MART. A. MDCCCLXII. HLQC. HAB.

PRAEMITTIT

IO. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBEC. RECT.



LVBECAE.

TYPIS GREENIANIS.

ZYMMYX
LIBRORVM RARIORVM

INDEX II

SCHECTER, ORBIS AVIATIONIS LIBRARIA

ACTA SOCIETATIS
ORATORIO

H. ZEITZIUS M. A. MDCCLXII. HIC HVB.

PALMUS IT

IO. HENR. A. SEETEN



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF HANNOVER



tertium hoc secundo Librorum rariorū Indice actum,
quo Filii, quorum Patres simili modo meis auspiciis
pro rostris Gymnasticis dixerunt, cathedralē publicam
concedent, Patrum laudatissimorum vestigia lecturi,
indico. Primus fuit an. 1753 *Cladenianus*, ad quem
Analectis ad IO. HENR. MEIBOMII, Poliatri quon-
dam Lubecensis, MAECENATEM, invitavi. Secundus fuit an. 1761
Richertzianus, cui *Observationes de Concordia & Pace sacra* praemisi.
Tertius proxime instat, qui divino quoque auxilio, quod speramus,
absolvetur. Is erit *Burghardianus*, quem pari ratione reddet raritas
commemorabilem. Magnum sane beneficium, quod benignissimi
Numinis gratia mihi contingit. Quot enim sunt mei ordinis viri,
qui id vitae spatiū impleverunt, ut gaudere potuerint, et Patribus et
Filiis, qui utriusque publice editis, nec sine laude, eruditioñis specimi-
niibus inclarerunt? Sane exiguis erit numerus eorum, quorum inter
auditores, tam Patres, quam Filii ipsorum, commemorantur. Et mihi
servorum minimo raram hanc felicitatem clementissimus DEVS be-
nevolentissime, ut Augustiniano more exprimam, concessit. Hoc nisi
me erigeret, nisi ad animum gratissimum demississime declarandum
incenderet, adscriberatus essem turpisimae ingratorum societati, quam
vehementissime aversor.

An vero iure quo etiam silentio involvere felicitatem aliam,
quam mihi quoque contigisse, merito recordor? Est illa eo magis
concelebranda, quo rariori exemplo me non potuit non afficere.
Cum enim vivendo diem istum attigissem, quo annos quadraginta
munerum, in tribus urbibus divina gratia gestorum, impleveram,
praeter omnem exspectationem illa accidebat. Ego isto etiam die
officio meo deesse nollebam. Intranti itaque auditorium publicum,
duo optimae notae iuvenes, JOHANNES FRIDERICVS WEST-



PHAL atque CHRISTIANVS NICOLAVS CARSTENS, Lubenses, mihi obviam ibant, totius coetus nomine benignam sortem gratulabantur, simulque rogarunt, ut liceret ipsis cathedralm consondere, atque vberius mentem declarare. Honestissimis eorum precibus non poteram non annuere, etsi pietas et candor me in stuporem fere dabat, praesertim ideo, quod sponte, nulla ansa data, meque plane insciente, hunc laborem suscepserant. Cathedralm itaque consendeabant ac, praesentibus honoratissimis Collegis et dilectissimis commilitonibus, WESTPHALIVS in memoriam et laudem potissimum IOHANNIS KIRCHMANNI, CARSTENIVS autem de Iuliiae Lubecensibus, nitidas habebant Orationes, quae vtraeque typis exscriptae prostant. WESTPHALIVS, longiori vita dignus, non multo post, tabe confectus, e vita migrabat. CARSTENIVS autem hodieque divino favore vivit, Iuris virtusque Licentiati characterem ornat, causasque forenses prospero successu agit, qui vt diu sospes ac incolumis superfit, Amico suavisimo sincere voveo. Vtiam viveret etiam desideratissimus ipsius Parens, MENO NICOLAVS CARSTENS, Pastor Cathedralis praeclarissime meritus, quem post fata etiam honoris causa nomino, tum alias ob res laude dignissimas, tum ob Filium quoque praestantissimum, qui ipsum, pro rostris Gymnasticis d. 15 Febr. 1720 insigniter locutum (vid. quae scripsi Select. Liter. pag. 92 sq.), d 17 Novemb. 1753. laudabili studio est secutus, paternaque feliciter legit vestigia.

Rara haec, quam iure praedico, felicitas me denuo vocat ad libros, quos posideo, rariores eodem indicandos modo, quo in primo Indice vsus sum. AVGVSTVM BEYERVM in *Memoriis Historico-Criticis Librorum riorum*, Dresd. 1734. 8. evulgatis, plerunque sua fide niti in indicandis libris rioribus, VOGTIVM aliena, REIMANNVS Biblioth. Hist. Lit. T. II. p. 531 observat. Mea fide niti lectorem, minime cupio, affirmo tantum, me eos modo libros ad rariores retulisse, qui si non ubique, tamen etiam nullibi, tales censemur. Iudicia aliorum non plane sperno, etsi forsitan causae sint, cur in quibusdam non totus semper acquiescam. Praemittam & huic Indici nonnullos, quos manibus tantum, non typis, exaratos, possum conspicendi praebere. Si non omnes maximi, non omnes tamen etiam nullius momenti erunt. Edita, quae MSSta in mea supellecstile sunt, non taceo.

Libri

Libri manu scripti.

THEOPHRASTI PARACELSI *Miscellanea*. Sunt in his varia Biblica, Theologica, Moralia. Primum locum copiosa occupat Epistola, inscripta: *Den Chryslichen Brüdern Martino Luthero, Iohanni Pomerano und Philippo Melanthoni, den Apostolischen Männern*. Continet varia Biblica. Sequuntur varia Theologica, de Religione perpetua, Baptismate, Trinitate, et rel. de vererum Christianorum Monito: *Sursum corda*.

IO. MVSÆI *Loci Theologici*.

EIVSD. *Disputationes contra Pontificios, Reformatos, Socinianos.*
Additi sunt *Discursus*, vt vocantur, *Praesidisi*.

IO. FRID. MAYERI *Collegium Anti-Papaicum*.

EIVSD. *Lexicon Fidei*.

GVLIELMI ROVILLII *Historia*.

IO. GEORG. NEVMANNI *Cursus Methodologicus*, quo eundo per varia Scientiarum genera, quid selectum in unoquoque et eximium, succincte ostenditur.

EIVSD. *Supplementum Observationum et Decisionum practicarum in AEGID. STRAVCHII Theologiam Moralem*.

Variae Variorum Epistolæ collectæ a THEODORO RACHELIO 1690.

In his sunt quaedam a MARQ. GVDIO, et ad eundem, scriptæ Epistolæ.

HENR. BANGERTI ad viros clarissimos Epistolæ. In altera pagina Auctor scriptis: *Collegi has Literas, antea disiectas, 1647, cum iam integros duodecim annos, DEI gratia, publice in scholis docuissent*.

MENON. HANNEKENII *Praelectiones in Sylogen Quæstionum Theologicarum*. Vid. Notit. earum, quam in Epist. ad Nepot. 1743 dedi.

STEPHANI CLOTZII *Annotationes et Observations in Apocalypsin Iohannis*.

THEOD. DASSOVII *Antiquitates Ebraicae ad illustranda plura, eaque difficiliora, S. Scripturae loca facientes*.

Canticum Cantorum philosophice explicatum per IO. LVEDOV. HEINZEL a DEGERNSTEIN. Germanica. Apographum est Commentarii in Canticum Cantorum, cuius notitiam debeo viro de re sacra et literaria longe meritissimo, D. IO. GEORG. SCHEL-HORNIO, Praefuli hodie Memmingensi excellentissimo, in Memorab. Biblioth. RAYM. de KRAFFT, Consulis Vlmenfis, Amoe-

❧

nit. Literar. T. III. p. 106. Ego cum *Vindicias S. Codicis adversus Alchymistas* meditarer, per literas rogabam doctissimum SCHELHORNIVM, ut excerpta quaedam e scripto Heinzeliano mecum communicaret. Is vero, pro maxima sua humanitate, summo favore KRAFTIANO suffultus, totam fere mihi Cantici Explanationem transmisit. Exoscular hodieque Epistolam, quam SCHELHORNIVS, cuius amicitiam et commercium literarium magni dudum, et merito quidem, aestimavi, 1726. prid. Kal. Jul. ad me scripsit. In ea enim, inter alia, isthaec leguntur: *Per illistris Dn. de KRAFT facillimum se praestitit meo rogatu non tantum in communicatinga Cantici Paraphras: sed et cum potiora eius argumenta enotassem, per amanuensem suum lubens, pro ea, qua in literas et literatos animatus est, benevolentia, ea describi curavit Tibi transmittenda, et rel.* SCHELHORNIVS loc. cit. breve dedit HEINZELIANI commentarii compendium: *Lapidem philosophicum in Cantico laudatum et descriptum invenisse sibi visus est autor.* Ille vero in *Utopia* potius, quam in *Cantico Canticorum*, fuisset querendus.

Libri rariores.

Rudimentum Novitiorum. Lubec. 1475. fol. maj. Vid. Select. Liter. p. 558 sqq. Hist. Typogr. Lub. p. 4 sqq. 169 sq.

VL R. OBRECHTI Prodromus Rerum Alsatiarum. Argent. 1681. 4. Conf. SERPILII Verzeichn. varer Buch. P. I. pag. 73 sqq. Add. VOGTIVS pag. 490.

HENR. SPONDANI Coemeteria Sacra. Paris, 1638. 4 maj. *PETR. PITHOEI Opera sacra, iuridica, historica, miscellanea.* Paris. 1609. Conf. VOGTIVS p. 534. AVB. MIRAEI *Origines Equestrium, sive Militarium Ordinum.* Antverp. 1609. *POLICARP. PALERMVS de vera C. Plinii Secundi superioris Patria, atque ea Verona.* Veron. 1608. 4.

SACRAE SACHSEN Gedichte. Nurnb. 1558. fol. min. Qui cuncta huius Poetae Teutonici Carminum, pro temporis, quo vixit, ratione dijudicandorum, volumina possidet, ille haber, quod iure possit rarissimum appellare. Meos inter libros est Tomus, qui prae reliquis meretur aestimari. Legitur in eodem fol. 289. b. Carmen, quod inscribitur: *Die unternückte Warheit,* atque incipit hoc modo:

Als

Als zu Lüweck in Sachsen

Ich ein Jüngling erwachsen

Geing an den See spaciern, &c.

Cum si non omnino incerta, quodammodo saltem dubia sit vera
SACHSII patria, haud difficulter aliquis per citata ipsius ver-
ba incidere poterit in coniecturam, quod patria *Lubecensis*
fuerit. Mutatio literarum viius organi non impedit, quo
minus per Lüweck hic possit Lübeck intelligi. Sachsen olim
naš ežoziv dictas esse provincias, quae hodie Nieder-Sachsen
appellantur, notum est. Constat etiam, quod fluvius, qui hodie
audit die Wateniz, antea, medio praesertim aevo, der See, nun-
cupatus fuerit. Sic voces, quae videntur contrariae, non habent,
quod opinionem hanc infringat. At hunc, quem suum indi-
genam dudum putavit, aegre sibi eripi patietur Norimberga,
etsi aliud sit, diu habitasse in civitate, aliud, in eadem esse progra-
tum. Mera autem coniectura est, quam protuli. Vid. *Muthmasz*
liche Gedanken über die Frage: Ob der berühmte Meister-
Sänger, Hans Sachs, ein Lübecker gewesen? quas cogitatio-
nes Lübeckisch. Anzeig. 1751. n. 13. 14. 15. inserui.

*ADRIAN. REGENVOLSCII Systema Historico-Chronologicum Ec-
clesiarum Slavonicarum.* Trai. ad Rhen. 1652. 4.

WILLEM CHRISTOFFEL BERKENMEYERS, Bedienaars des Hey-
lichen Euangelium van de Nederduytse Gemeente te Nieuw-York, Al-
banie en daar ontrent, insgelyke der Parochye der Palatynen by
Quassayk, de onveranderde A. C. toegedan, Getrouwe Herder- en
Wachter-Stem aan de Hoog- en Neder-Duitche Lutherianen in
dese Gewesten, eenstemmig te zyn, vertoont met twee Brieven en
andere Redenen Lutherischer Theologanten: aangaande 't Van Die-
rensche Beröep en de Henkelsche Bevestiging. Te Nieuw-York, by
I. Peter Zenger, A. C. MDCCXXVIII. 4. Scripto huic, notatu
vitque digno, edendo occasionem dedit crassus fanaticus, IOH.
BERNHARD. van DIEREN, qui licet neque in Scholis, vel in-
terioribus, vel superioribus, eruditus, sed societati sartorum se
adunxerit, opificio tamen relicto, ut sacerdotio fungeretur, Re-
giomonto, patria, abit in regiones longissime remotas, ibidem
que ficta pietate homines, plebeios praesertim, ad partes suas
pertraxit, et falsa multa ac heterodoxa docuit, nunquam legitime
voca-

vocatus, nunquam ad sacrum munus administrandum rite inau-
guratus. Cum vero coetibus, qui BERKENMEYERI curae
erant commissi, sese ingereret, et quosdam deciperet, is pro eo,
quo in puriorēm doctrinam Lutheranam fertur, studio, arripiebat
calamum; simulque HENKELIVM, causam DIERENII agere
conantem, castigabat, imminentē auditoribus suis periculo co-
actus. Profligat masculē fanaticū istud dogma, quo homo etiam
illiteratus ad sacra munia obeunda aptus iudicatur. Praeterea
affert varia, quae Pietismū, eiusque historiam, illustrant. Copio-
se scilicet subiunxit Notas, quae multo plura, quam textus, vt
vulgo loquuntur, comprehendunt, et maioris mōlis exhibuissent
librum (ad Alphabetum tamen proxime accedit), nisi typogra-
phia Americana minutis plerumque literis esset vfa. Si erudite
et orthodoxe conscriptus liber in Germania recuderetur, fieret
sine dubio res grata iis, qui cognoscere cupiunt, quid Pietistae
etiam sub pietatis praetextu egerint. BERKENMEYERO sane
horum strophae valde displicebant, quas & ego semper aversa-
tus sum. Candidus & ingenuus Amicus, quo Stadae familiariter
vsus sum, exempla quaedam libri sui anti-fanatici mittens in Ger-
maniam, mihi quoque vnum destinaverat, quod, ni fallor, vni-
cum est ad hanc vrbem transmissum. Ego animi causā istud soleo
meam Bibliotheculam Americanam, vnico libro constantem, appelle-
lare. Vid. huc spectantia copiosius complexam *Relationem de
nuperis Motibus in Ecclesia Lutherana Neo-Eboracensi, Historiam
Lutheranismi in America illustrantem*, quam praebui in Biblioth.
Lubec. Vol. X. pag. 272 sqq.

P. MVSSARDI *Historia Deorum Fatidicorum cum eorum Iconibus.*
Colon. Allobrog. 1675. 4.

AVGVSTINI OREGII *Aristotelis Vēra de Rationalis Animae Immor-
talitate Sententia.* Rom. 1633. 4 maj.

PETRI CALANNAE *Philosophia Seniorum Sacerdotia & Platonica.*
*A Iunioribus et Laicis neglecta Philosophis. De Mundo Animarum
& Corporum.* Panormi. 1599. 4. Vid. Select. Liter. pag. 693 sqq.
Conf. VOGTIVS p. 162.

IO. HVS *Epistole.* Cum Praef. LVATHERI. Vitemb. 1537. Conf.
VOGTIVS p. 357. EIVSD. *Disputatio Constantiae habita.* ibid.
WENCESLAU PHILOMATHIS *Libri Musici Carmine elucubrati.*
Viteb. 1534. 8.

ALBER-

- ALBERTI n. S. AEGIDIO Paulus praedicans Resurrectionem Mortuorum. Adversus Atheos. Rhedonis. 1654. 4.*
- BARTHOLOM. de los RIOS Vitta Coccinea. Antverp. 1646. 4.*
- IVONIS CARNOTENSIS Epistole et Chronicon de Regibus Francorum. Paris. 1585. 4maj. In Epistolis Papae Romano Maiestatis titulus tribuitur (vid. Strom. Lutheran. p. 697 sq.), quae adulatio illarum raritatem etiam auxit.*
- ENEE SILVII Epistole. Norimb. 1496. 4.*
- IVL. MAZARINI Cent Discours sur la cheute Penitence et Restauration du Rhy et Prophete David. Paris 1610, 4maj.*
- THOM. CAMPANELLAe de Sensu Rerum Libri IV. Francof. 1620.
EIVSD. Spanische Monarchy. 1620. 4.*
- EIVSD. Realis Philosophia Epilogistica. Francof. 1623. 4.*
- Historie van B. CORNELIS ADRIAENSEN. Amstelred. 1607. 8.*
- FRANC. BVRGKARDVS de Autonomia, von Freystellung mehreren Religion und Glauben v. München 1602. 4. In titulo etiam verba: Nachzudrucken verbotten, leguntur.*
- BENED. SPINOZAE Tractatus Theologico-Politicus. Hamb. 1672.
Conf. VOGTIVS p. 640. REGNER. a MANSVELT adversus Anonymum Theologo-Politicum. Amstelaed. 1674. 4.
Philosophia Scripturae interpres. Eleuterop. 1666. 4.*
- PAVLE EBERI Calendarium Historicum. Viteberg. 1556. 8. Ad libros quidem rariores non solet referri hoc Calendarium, meum tamen exemplar iis accenseri meretur propter varias Observationes autographas, quas eidem ANDREAS POVCHENIVS, Superintendens Lubecensis, inseruit.*
- JORDANVS BRVNVS de triplici Minimo. Francof. 1591. De Monade, Numero et Figura, Innumerabilibus, Immenso et Infigurabili, seu de Universo et Mundis. ibid. 1591. De Imaginum, Signorum et Idearum Compositione, ibid. 1591. 8. Contenta huius voluminis ipse MORHOIVS, in cuius Bibliotheca olim fuit, prorarissimis habuit. Conf. VOGTIVS p. 150 sq.*
- FRANC. MARII GRAPALDI Liber de Partibus AEdium. Taurin. 1516. 4. Qui solus libri titulus innotuit, ipsum vero nunquam*

inspexit, auctorem fuisse architecturae peritum, et nil, nisi architectonica, prorulisse, haud difficulter sibi potest persuadere.

Verum errat, inscriptione deceptus. Ad Philologiam & Criticam potius, quam ad Architecturam, est hic liber referendus. Explicare enim ac describere studet GRAPALDVS varias res, & philologicē quidem, quae sunt vel partes necessariae aedium, vel ad earum decora modo possunt referri. Sic e.c. lib. II. c. 9. fol. 92 sqq. Bibliothecam partibus aedium accenset, licet ea non in cunctis domibus reperiatur. In vocibus declarandis non est semper plane spernendus, quamvis splendidus Bibliothecae titulus, ab ANTON. BREMIO, praefixo magnifico hoc elogio:

Quisquis amas uno quasi cuncta videre libello,

Hunc eme: nam fiet BIBLIOTHECA tibi,

impositus, libro huic non conveniat.

Sereniss. Domus Augustae Selenianae Princip. iuventutis utriusque sexus, pietatis, eruditio[n]is, comitatisque Exemplum sine pari in perfectae Educationis et Institutionis normam expositum a IOH. VALENT. ANDREAE, Th. D. Abbe Bebenhusano. Vlm. 1649.

12 maj. Rafa haec Epistolarum collectio ad Bibliothecani purpurata pertinet, siquidem pleraque a Principibus scriptae sunt. Non vero Genealogico tantum studio inserviunt, verum multa etiam alia lectu digna volumen hoc continet. Provoco vnicore ad ea, quae in epistolis 1652 scriptis p. 217sqq. de Astrologis divinatoribus occurunt.

Mundus alter et idem. Sive Terra Australis antehac semper incognita, longis itineribus peregrini Academicci nuperrime lustrata. Auctore MERCVRIO BRITANNICO. Accesserunt propter affinitatem materiae THOMAE CAMPANELLAE Civitas Solis & Nova Atlantis FRANC. BACONIS, Bar. de Verulamio. Ultraj. 1643. 12.

CLAVD. CLEMENTIS Musei, sive Bibliothecae Instruclio. Lugd. 1635. 4. Vid. quae de hoc libro rarissimo inferui Nov. Liter. Hamb. 1748. n. 12. p. 330sqq.

ERPOLD. LINDENBRUCH Chronica von dem Kriege, welchen die Cimbri mit dem Römischen Volk geführet haben. Hamb. 1589. GEORG. SPALATINVS von Arminio. Wittenb. 1535. MARC. WAGNERI Thüringen Königreich. Ihena. 1591. CASP. CALOVII Chronica der Herzogen zu Mecklenburgk. Leipzig. 1600. ANDR.

SVL ANDR. WERNER Catalogus aller Magdeburgischen Erzbischoffe in 611 Jahr; item aller Halberstädtischen Bischoffe. Magdeb. 1579. DAVID CHYTRAEVUS von dem Zustand der Christlichen Kirchen in Griechenland, Asien, Africa n. 1584. A. was bey der Kronung CHRISTIANI IV. Königs in Denmark, zu Copenhagen vom 20 Aug. bis 14 Sept. 1596. sich zugezogen hat. 1596. 4. In hoc volumine nihil quidem est, quod crebro occurrat & multorum manibus teratur, rarissimum tamen censem WAGNERI Chronicon Thuringicum, idque etiam propter annexam illi copiosam de Abbe Stadensi ad HENRICVM RANZOVIVM Epistolam, quae innotuit quidem aliorum relatione TOBLAE ECKHARDI, sed ipse oculis eam usurpare non potuit. Quare in Vita ALBERT. STADENSIS, studiose admodum elaborata, p. 53 sic scribit: *Animus erat ipsam addere WAGNERI Epistolam; sed multo licet studio, in instrumentis etiam bibliothecis, perquisitum, nancisci non licuit.*
 MARC de WLSON, Sieur de la COLOMBIERE, le vray Theatre d'Honneur et de Chevalerie, ou le Miroir Heroique de la Noblesse. Paris. 1648. fol. Opus rarum, curiosum, antiquitatibus plenum, aeneis figuris elegantissimis ornatum.
 PROCOPII Avendora. Cum Notis NICOL. ALEMANNI. Lugd. 1623.
 IAC. MAZOCCHII Epigrammata Antiquae Virbis, Rom. 1521. fol. Conf. VOGTIUS p. 449.
 PETR. APIANI Inscriptiones sacrosanctae Veteris. Ingolst. 1533. fol. Conf. VOGTIUS p. 38. Cur hic liber rarus sit, exponit SCHELHORNIVS Amoenit. Liter. Tom. V. p. 286.
 ANGELI DECEMBRII de Politia literaria Liber. Aug. Vindel. 1540. fol. Quibus liber hic ex fola citatione aliorum innotuit, si ipsiis autem nunquam licuit eundem inspicere, illis haud difficulter dari potuit occasio cogitandi, quod in eo de *politia*, (tertia syllaba longa) sive de ratione ordinandi et gubernandi civitatem literariam, non vero de *politia*, (tertia syllaba brevi) sive elegantia Latini sermonis consequenda, agatur. Ipsa vero *aventura* docet, quod DECEMBRIUS nullius regiminis, sed solius nitoris curam gesserit. *Politiam*, ait p. 1. a, a poliendo, seu polite scribendo, appellare libet. Qui itaque librum hunc ad politicos referunt, ii quod pace ipsorum dixerim.

- dixerim, eum non satis cognitum habuerunt. Conf. VOGTIVS p. 234. SIGISMUNDI L. B. in HERBERSTAIN, Rerum Mocoviticarum Commentarii. Basili. 1551, fol.
- AIMOINI Libri de Gestis Francorum, arque LEONIS MARSI-CANI Chronicon Casinense. Paris. 1603, fol. Auctorem libri de Gestis Francorum aliqui vocant Aimonium, manifesto indicio, quod eundem ante oculos non habuerint.
- ADRIANI SCRIECKII Origines Resque Celticae et Belgicae. Ypr. 1614, fol. Aliam editionem memorat VOGTIVS p. 614. Opus etymologicum tam rarum, quam paradoxum. Conf. IO. GEORG. ECCARDI Hist. Stud. Etymolog. Ling. German. p. 110sq.
- VALER. ANDREAE Bibliotheca Belgica. Lovan. 1643. 4. Scio, quod liber hic magno studio a magno & literatissimo viro sit quaesitus. Conf. VOGTIVS p. 32.
- ANTONII BOSII, 10. SEVERIANI et PAVL. ARINGHT Roma Subterranea. Rom. 1651, fol. maj. Vol. II, cum multis figg. Splendidum valde hoc opus primum erat, quod summopere efferebat HENR. LEONH. SCHVRZFLEISCHIVS, cum, permittente ipso, Bibliothecam fratris, CONRADI SAMVELIS, Wittenbergae perlustrarem. Idem praedicabat, quod frater ipsius Roma in Saxoniam hunc thesaurum (hac voce, memini, vtebatur) attulerit, cuius' pretium & raritatem, in his saltem terris, satis aestimari non posse, ex ore frattis plus vice simplici se audivisse, referebat.
- CAMILL. PEREGRINI Series Abbatum Casinensium. Neapol. 1643. 4.
- Paraeneticorum Veterum Pars I. Cum Notis MELCHIORIS HAL-MINSFELDII GOLDASTI Insul. ad Lac. Acton. 1604. 4. 10. RIDARSTIENA, Suecus, vir arte & Marte clarus, qui licet inter turmae Regiae nobiles officiales nomen suum sit professus, antiquitatum tamen & aliarum pulcherrimarum rerum peritisimus celebratur, in Epistola Hamburgi (vbi valetudinis causa degebat) 1694. d. 19. Decemb. scripta: Ich verlange einige Nachricht, wo doch des GOLDASTI PARAENETICI VETERES zu finden und wann sie gedruckt, qua forma, an separatim, an vero iunctim cum aliis Goldasti operibus. Denn ich sie tausendmahl gesucht in Bibliotheken und nachgefraget, aber niemals

niemahls können zu sehen bekommen. Vid. Memor. Staden. p. 188. STADENIVS d. 24 Decemb. 1694. respondit: *Pars postea lucem nunquam aspexit.* Neque enim in catalogo MSS. Goldasti, in Bibliothecam publicam Bremensem perlatorum, quicquam eius observavi. Nactus sum ego hanc Partem primam ex Biblioteca Conringiana, et profecto non vili pretio, quia in bibliopolis non reperitur, nec nisi semel separatim est edita. Vid. loc. cit. p. 191. Conf. p. 91. Add. VOGTIVS p. 516.

HENR. CORNEL. AGRIPPAE Liber de Incertitudine & Vanitate OMNIVM Scientiarum & Artium. Colon. 1598. 12 maj. Editiones, in quarum titulo legitur omnium, habentur pro rarissimis.

Lettres et Ambassade de Messire PHILIPPE CANAYE, Seigneur de Fresne, Conseiller du Roy. A Paris 1645. fol. III Voll.

Μικρὸν γε θύτικὸν. Veterum quorundam brevium Theologorum, sive E-
dia pycoporum, sive Presbyterorum, aut Sacri ordinis aliorum, qui
aut tempore Apostolorum, aut non multo post vixerunt, Elenchus.
Basil. 1550. fol.

10. HEROLDI Orthodoxographa. Basil. 1555. fol. Conf. VOGTIVS pag. 507.

PIETR. MESSIA Selva di varia Lettione. Ampliata per FRANCISCO SANSOVINO. In Venetia. 1585. 8.

EGBERT GRIM, Licentiaet in de H. Schrift, Pastor van de Kercke Christi uyt Groot Britanniën, ende Professor in de Schole tot Wesel, Pauseliche Heiligkeit, Dat is, Catholyck ende authentyck Vertoogh, dat IOHANNES, gemeenlick PAVS IUTTE genoemt, een vrouwe geweest is; genomen uyt meer als Hundert Paepse Sribenten, van verscheiden orden: als Pausen, Cardinaleten, Eerclsbischoppen, Bischoppen, Paepen, Monnicken, Leeken &c. ende volgende Landen: Hoogh ende Neder Duitslandt, Italien, Franckrijcke, Groot Britanniën, Hungarien, Bohemen, Spanien, Grieckenlandt, Polen, &c. So dat van de Pausin, van de eeuwe af, doen sy was, tot op onsen tijdt, geschreven te zyn bewesen, ende t contrarie schriven van ONVPHRIVS PANV-
NIVS, LAURENTIVS ALBERTVS, ALANVS COPVS,
BELLARMINVS, BARONIVS, COCCIVS, FLORIMVN-
DVS RAEMVNDVS, SERARIVS, COTON, SCHERER,
PAPY-

PAPYRIVS MASSONVS, PONTACVS, BERNARTIVS,
 HARDINGIVS, SVFFRIDVS PETRVS, PARSONVS, seker
Pape tot Rees, ende andere, wederleyt wort. Tot Wefel. 1635. 4.
 Alph. VI. pl. 4. Maximus sine dubio liber, qui in hac contro-
 versia vñquam prodiit. Copiosissimus et rarissimus in hac materia
 scriptor, adeo, vt ne omnibus quidem, sive veram hic histori-
 am, sive fabulam, quaeviserint, satis notus fuerit. Ego cum
 olim, aequa ac praeclarissimus civis meus, laudatus VOGTIVS,
Historiam literariam CONSTANTINI M. (Hamb. 1720. 8.)
 evulgavit, *Historiam literariam IOHANNAE PAPISSAE ede-*
re, in animo haberem, propter inopiam autem rarissimorum
quorundam scriptorum, inter affecta relinquere cogerer, prae-
fertim cum ex Hifstor. Liter. CONSTANT. M. pag. 9. viderem,
eundem VOGTIVM quoque Historiam Literariam IOHANNAE
PAPISSAE moliri; meum vero propositum innouisset publico
literatorum Patrono, illustri ZACHARIAE CONRADO ab
VFFENBACH, Germaniae PEIRESCIO, is mihi sponte trans-
mittebat GRIMMIVM et, pro benignitate ac liberalitate sua,
donabat. Augebat itaque suppellectilem meam librariam mo-
numento, quod non vbiique cernere licebit.

LAC. HVGNIS *Vera Historia Romana, seu Origo Latii vel Ita-*
liae ac Romanae Vrbis e tenebris in lucem producta. Rom. 1655.
 4 maj. Παραδοξολογία ad sanctiorum literarum abusum (hunc
 vero quis hic deprehendi posse, crederet, qui ex sola inscriptio-
 ne iudicat?) tendens in hoc libro invenitur. Salutariter itaque
 impedit raritas, quo minus in omnium manibus versetur. Conf.
 quae de hoc libro scripsi Miscellan. P. I. p. 68 sqq.

DAV. DICSONI *Expositio Analytica omnium Apostolicarum Epis-
 tolarum.* Glasguae. 1645. 4.

Relationi del Cardinal BENTIVOGLIO. In Parigi. 1643. 4 maj.

Honor IGNATIO de LOIOLA, Soc. Iesu Fundatori, et FRANCISCO
 XAVERIO, Indiarum Apostolo, habitus. Antverp. 1622. *Fama*
Postuma Praefulum Antverpiensem. Antverp. 1611. 8.

AEGID. GVTTMANNI *Offenbarung Göttlicher Mayestat,*
 darinnen angezeiget wird, wie Gott der Herr anfänglich sich
 allen

allen seinen Geschöpfen, mit Worten und Werken geoffenbar, und wie er alle seine Werke, derselben Art, Eigenschaft, Kraft und Wirkung in kurze Schriften artlich verfaßt, und solches alles dem Ersten Menschen, den er selbst nach seiner Bildnis geschaffen, überreicht, welches dann bis dahero gelangt ist. Hanau 1619. 4. SAMVEL ENGEL in Biblioth. Selectiss. (Bern. 1743. 8.) P. II. p. 31. de hac prima huius libri editione annotavit sequentia: *Editio rarissima Libri adeo rari, ut, teste Struvio, in Belgio iam pro 100 loachimicis divendita, imo Principi cuidam, non nisi prius numeratis mille florenis, Exemplar ad illud describendum traditum fuerit.* Confirmat haec, imo premium amplificat; & alia de hoc libro observat REIMMANNVS Biblioth. Theol. p. 682 sq. Conf. quae de raritate huius libri annotavit VOGTIVS p. 499 sq.

AEque rara, licet recentior, est secunda huius libri editio, quae Amstelod. et Francof. ad Moen. 1675. 4. prodiit. Conf. SCHEL-HORNII. Amoenit. Lit. Tom. V. p. 292 sq. Contuli posteriorem hanc editionem, quae itidem inter libros meos est, ac nullam in ea, quod caput rei est, differentiam, aliquam tamen in externa offendi forma, quae secundam hanc editionem primae quodammodo dissimilem facit. Sic Titulus generalis habet tantum haec verba: *Offenbahrung Göttlicher Majestat, sed stipata AVGVSTINI, BERNHARDI, FICINI, PARACELSI, dictis, quae editori ad rem facere, visa sunt.* Subsequitur *Kur- ges Bedencken von G. Offenb. Göttl. Mayst.*, cuius auctor racet quidem nomen suum, notum tamen est, quod sit HENR. AMERSBACHIVS, qui in hoc iudicio Ministerium Tripolitanum sine iudicio convitii proscindit. Post Elenchum Capitum repetitus est integer primae editionis titulus, cui haec verba subiuncta: *Zieh' vor fast vor 60 Jahren auf wielfältiges Suchen ediret, und aniezo, weils so rar und thener, daß auch ein Exemplar vor 30. 40. Thalr. verkauft, und fast nicht zu erhalten gewesen, nunmehr gleichwohl auf so wielfältiges Begehrn, sonderlich für Gnadenhungreige, Weisheit suchende, Kunstbegierige, Gottliebende und himmlisch gesinnete Kinder Gottes wieder ausgeleger, sc.* Quod iactantius, quam verius

verius haec dicta sint, admiratoresque huius libri splendidissimo
superbientis titulo, nubem pro Iunone, scorias pro auro, inven-
terint; cordatus & ingenuus Theologus, ingens quondam &
Lubecae & Ecclesiae saniorem doctrinam amplexae, decus, SAM.
POMARIUS, luculenter evicit.

CONR. GESNERI *Bibliotheca Universalis.* Tigur. 1545. fol. Ipsa
manus Gesneriana est in titulo, cui haec inscripta: *Clarissimis
uiris D. Hieronymo Frobenio, et D. Nicolao Episcopio, Conradus
Gesnerus d.d. Cat. Mosh. p. 202: Lib. perrar.* Conf. VOGTIUS
p. 125. sq. Iure ergo accensetur libris rarioribus in Catal. Biblioth. I.
F. Reimmanni p. 259.

IOS. SIMLERI *Epitome Bibliothecae Gesneri.* Tigur. 1555. fol.
EIVSD. *Epitome Bibliothecae Gesneri novorum Librorum accessione
locupletata.* Tigur. 1574. fol.

CORNELII SCHVLTINGII *Bibliotheca Ecclesiastica.* Colon.
Agripp. 1599. fol. Perrarorum in librorum classem refert
HEVMANNVS Confsp. Reip. Liter. c. 6. §. 30. Conf. VOGTIUS
p. 615. Quod pauca huius Bibliothecae exemplaria sunt impressa,
passim annotatum reperitur. Vid. Act. Erud. 1710 p. 283.

IO. MALDERI *Anti-Synadica, seu Animadversiones in Decreta Con-
ventus Dordraceni.* Antw. 1620. 8. Cat. Mosh. p. 292: *Liber longe
rarissimus.* Recensui in Select. Liter. p. 759 sqq. Conf. VOGTI-
US pag. 435.

*Incerti Scriptoris Chronicon de Archiepiscopis et Sacerdotibus Eccle-
siae Vpalienensis.* Cum Notis IO. SCHEFFERI. Vpsal. 1673.
ISRAEL. ERLANDVS *de Vita et Miraculis S. ERICI,* Sueciae
Regis, Cum Notis IO. SCHEFFERI. Holm. 1675. Commen-
tariorum de Regibus vetustis Norvagicis, & de Profectione Danorum
in Terram Sanctam. Cura JOHANNIS atque BERNH. CASP.
KIRCHMANNORVM. Amstelod. 1684. **GEORG. LANI**
Mausoleum S. Petri. Lips. 1695. **I. C. W.** *Epitaphia Budissi-
nenfia.* Bud. 1695. **GUSTAV. CARLHOLM** *de Ayslis & co-
rum Iure.* 1698. Pleraque in hoc volumine rarioora.

CONR. SCHLPSALBVRGII *Epistolae clarissimorum Theologorum
& aliorum virorum doctissimorum.* Rostoch. 1624. 8. Cat. Mosh. p.
249: *Liber rarissimus.* Conf. VOGTIUS p. 614.

CAS.

CASSANDRAE FIDELIS Epistole et Orationes. Cum eius Vita & Notis a LAC. PHIL. TOMASINO editae. Patav. 1636. 8.

LAVRAE CERETAE Epistole. Ab eodem TOMASINO productae qui eius Viram & Notas addidit. Patav. 1640. 8.

NICOL. RIGALTHI Glossarium Tauricorum Mieζoßaq Bagor. Lutet. 1601.

4 maj. Rigaltius hunc librum donavit IO. MEVRSIO, quod manus eius in titulo docet. Meursius autem, a Rigaltiana in pingendo elegantia remotus, emendavit variis in locis & supplavit. Vid. Biblioth. Lubec. Vol. IV. p. 646 sqq.

DOMINIC. ac CAROL. MACRORVM Hierolexicon. Rom. 1677. fol. Hanc editionem Romanam raro occurrere, vel ipsa testatur experientia.

Discorso di M. SEBASTIANO ERIZZO sopra le Medaglie de gli Antichi. Con la Dichiariatione delle Monete Consulari et delle Medaglie de gli Imperatori Romani. In Vinegia. 1559. 4. Conf.

VOGTIVS. p. 264 scq. Dictionarium, quod GEMMA GEMMARVM vocant, nuper castigatum. Antw. 1511. 4. In fronte hoc ad Lectorem literatum legitur distichon:

Non est e couchis hec Gemma petita marinis,
Verum barbarico Vandalicoque lacu.

MARQVARDI FREHERI de Re Monetaria Veterum Romanorum et hodierni apud Germanos Imperii Libri. NIC. ORESMII de Origine et Poteſtate, nec non de Mutatione Monetae liber. GABR. BYEL Notae in utrumque. Lugd. 1605. IOS. SCALIGERI ac MARQ. FREHERI Expositio duplex Numismatis CONSTANTINI Imp. Byzantini. 1604. MARQ. FREHERIS de Secretis Iudiciis, olim in Westphalia aliisque Germaniae partibus visitatis, postea abolitis. Heidelberg. 1610. HELIODORI Optica. Gr. et Lat. 1610. 4.

HVBERT. GOLTZII Iulius Caesar ex antiquis Numismatibus. Brug. Flandr. 1563. fol.

JACOBI a MELLE Epistola de antiquis quibusdam Nummis Germanicis Historiam Thuringicam praecipue illustrantibus. Ien. 1678. 4. Rarioribus recte annumeravit VOGTIUS p. 456.

LAC. PAMELI Annotationes diversorum in TERTULLIANVM. Paris. 1635. fol.

- CAROL. CARAFA de Germania Sacra instaurata.** Francof. 1641.
Decreta, Diplomata, Privilegia in favorem Religionis Catholicae.
 32 maj. Editioni Germaniae Sacrae Colonensi 1639 additum est
 in Cat. Mosh. p. 99: *Edit. var.* Citata autem editio Francofurtana,
 quam asservo, non videtur esse minoris raritatis, et si minoris sit
 elegantiae, siquidem prior editio mentitur typos Colonenses, a
 Batavis autem excusa est. Conf. VOGTIUS p. 170.
- Index Expurgatorius Librorum**, qui hoc seculo prodierunt, vel doctrinæ non sanæ erroribus inspersis, vel inutilis & offensivæ maledicentiae fellibus permixtis, iuxta sacri Concilii Tridentini decreatum: **Philippi II.**, Regis Catholici, iussu & auctoritate, atque Albani Ducis consilio ac ministerio in Belgio concinnatus, anno MDLXXI. Nunc primum in lucem editus & praefatione auctus ac Regii diplomatis interpretatione. Lugd. 1586. 12 maj. Huiusmodi Indices omnes libris raris merito accensentur, quamvis aliis sint alii rariores. Hic vero, quem in Bibliotheca GVLIELMI WAKII, Archiepiscopi Cantuariensis, invenit DANIEL MAICHE LIVS, in primis annotandus est propter tam copiosam, quam commemorabilem FRANCISCI IVNII Praefationem, in qua improbanda horum Indicum origo demonstratur et plura, quae in iis sunt, censemur. Vid. Lucubratt. Lambertan. p. 100 sqq.
- SIXTINI AMAMAE Anti-Barbarus Biblicus.** Amstelod. 1628. 8. maj. Cat. Mosh. p. 371: *Liber rarus.* Conf. VOGTIUS p. 27.
- CL. SALMASIUS de Annis climactericis et antiqua Astrologia.** Lugd. Batav. 1648. 8.
- Confessio Fidei exhibita CAROLO V. in Comitiis Augustae, Anno MDXXX.** Addita est Apologia Confessionis. Beida Deudsch vnd Latinisch. Witebergae. 4.
- Spissum in 4to Volumen, in quo INTERIM & varia Scripta polemica huius libelli causa evulgata. Reperitur in eodem quoque rarissima hodie Bekennnis vnd Erkleringe vp dat Interim, durch der Erbarn Stede, Lübeck, Hambruch, Lünenborch, etc. Superintendenten, Pastorn vnd Predigere, tho Christiliker vnd nödiger Underrichtunge gesteller; cui solido scripto inter omnia anti-interimistica principatus a nonnullis adiudicatur.
- FORTVN. LICETTI de Animarum Rationalium Immortalitate Libri quatuor, ARISTOTELIS opinionem diligenter explicantes.** Patav. 1629. fol.
- INNO-

- INNOCENTII GENTILETTI** Examen Concilii Tridentini. Genev.
iijv. 1586. 8^o Cat. Mosh. p. 86: *Lib. rar.*
- IO. CHRISTOPH. STEEBII** Coelum Sephirothicum Hebraeorum. Mo-
dugunt. 1679. fol. Cat. Mosh. p. 55: *Liber Cabbalisticus ex vario-
ribus. Consentit VOGTIVS p. 648.*
- DESID. ERASMI** Epistolae opus. Basil. 1558. fol.
- IAC. GOTHOFREDI** Dissertationes. 1645. EIVSD. Sacrae Exerci-
tationes. Genev. 1649. **IAC. SIRMONDI** Historia Praedestinatio-
na. Parif. 1648. 8.
- FRANC. PETRARCHAE** Epistolae. 1601. 8
- IAC. PHIL. TOMASINI** Petrarcha Redivivus. Patav. 1635. EIVSD.
de Donariis & Tabellis Votivis Liber. Vtin. 1639. 4.
- ANTON. AVGVS TINT** Emendationes & Opiniones. Lugdun. 1559. 8.
- HENR. STEPHANVS de LIPSII** Latinitate. Francof. 1595. 8.
- MICH. NEANDRI** Erotemata Graecae Lingue. Basil. 1565. 8. Edi-
tio haec rara est, imo rarissima, ob Praefationem non omnibus
editionibus praefixam. In ea tam copiose, quam erudite, de
Bibliothecis vetustis, de Libris editis ac ineditis, de viris
doctis, de variis rebus literariis aliis, agitur. Vnde b. RI-
CHEYVS in Nott. MSS. ad STRV VII Introd. c. I. §.8: *Non ob-
stant variae editiones, quin magna sit, praesertim ob doctissimam
Praefationem, inter eruditos hodie libri huius caritas. Addi- iure
potest: raritas.* Conf. VOGTIVS p. 486.
- ANG. POLITIANI** Opera. Basil. 1553. fol.
- ERYC. PVTEANVS** de Laconismo. Lovan. 1609. EIVSD. Thyrfi
Philotesi. ibid. L. S. V. Peniculus Foriarum Elenchi Scaligeria-
ni pro Societate Iesu, Maldonato, Delrio. Metelloburg. Mattiacor.
1609. **IVST. LIPSII** Defensio Postuma. Antverp. 1608. 8. Ornat
hunc librum pristini possessoris, IOH. AFFELMANNI, manus.
- BLAISE de VIGENERE** Traité de Chiffres, ou Secretes Manieres
d'escrire. A Paris 1587. 4 maj.
- JOHANNIS de LANVA** Catholicon. Sine anni & loci mentione, fol.
In Bibliotheca Sarraziana, Hagae Comitum 1715. 8. P. I. p. 184
de hoc opere annotata sunt sequentia: *Summa, quae vocatur Catho-
licon, edita a Johanne de Lanua, sine loco & tempore editionis, at-
tamen versus 1482. Ch. magna, rarissima. Num sit omnium prima*

- Catholici editio, non tam certum esse videtur, quam indubitatum, quod sit rarissima. Accuratissime in hanc rem inquisivit RICHEIVS in Append. IV ad Idioticon Hamb. p. 449 sqq.
- M. WESSELI GANSFORTII** Opera. Groning. 1614. 4. Conf. VOGTIVS p. 723.
- IO. SAVBERTI** Variae Lectiones Evangelii S. Matthaei. Helmest. 1672. 4. Raritas huius libri a RICH. SIMONE inde affirmatur, quod perpaucis ille Parisiis notus sit. Vid. laudatus VOGTIVS pag. 604.
- IO. CHAMBERLAYNII** Oratio Dominica in diversas omnium fere gentium Linguis versa. Amstelaed. 1715. 4.
- PET. SEGVINI** Selecta Numismata antiqua. Lutet. Paris. 1684. 4 maj.
- ANTON. AVGUSTINI** de Legibus & Senatusconsultis Liber. Lugd. 1592. **IAC. GOTHOREDI** Fragmenta XII. Tabularum, Heidelberg. 1616. 4 maj.
- MARC. ZVER. BOXHORNII** Origines Gallicae. Amstelod. 1654. 4. Conf. Memor. Staden. p. 93 sq. ECCARDVS loc. cit. p. 216 sq.
- EVSEBIUS ROMANVS** de Cultu SS. Ignotorum. Paris. 1705. 8.
- IO. MEVRSII** Athenae Batavae. Lugd. Batav. 1625. 4.
- Librorum in civitate nostra excusorum infrequentissimus haud dubie est libellus Lubec. 1509. 4. pl. 8. editus, quem tum demum videre mihi contigit, cum ante aliquot annos in manus meas incideret, postea nunquam iterum eundem conspexi, aut aliquid de eo annotatum reperi. Auctor eius est Anonymus, qui nusquam nomen suum expresit. Vocavit se tantum Hochgreve, quo nomine num olim insignitus fuerit nostra aetate dictus Spielgreve, qui nuptiis convivarum causa interest (in nuptiis enim evulgatum esse Scriptum hoc Poeticum, ratione, non nostrae, sed pristinae aetatis, dijudicandum, haud levis coniectura est), edoceri cupio. Effigiem suam tamen in primi folii pagina altera conspiciendam praebuit, apparentque tanquam curvus senex, manu dextra Sphaerulas preceptorias (Rosencranz, aut Pater noster), sinistra Baculum tenens. Loco tituli haec leguntur verba:

Van velseme rade bin ik een boek
Vnn segge vns van der werlde lop.

Supra

Supra effigiem hoc ad Lectores, quos offendit non vult, etiam si
vitia eorum taxet, alloquium cernitur:

*Hoert Hoert ik schal iww vorstellen,
Dat ik vooruaren hebbe van velen ghesellen
Ik bijn eyn van de vremmeden ghesellen
Rore ik dy vorghiff id my vnde ker et tome besten.*

Totus iraque liber est moralis & suo modo *Patriota*, *Spectator*,
aut huius generis liber alius, ita tamen, ut cum recentioribus
huiusmodi Scriptis non queat omnino comparari. Tempora
hic sunt utique distinguenda. Acriter interim censet omnium,
superiorum ac inferiorum, sexus quoque sequioris, vitia et mores
mundi false perstringit. At memor quoque est appellationis,
qua librum *ein Boek van veleme rade*, librum multi consilii
plenum, vocavit. Saluberrimum sine dubio est consilium, quod
dedit cunctis sacri ordinis viris, de S. Scriptura studio indefesso
scrutanda:

*Allerleye holt schole gy miden
Wente de Beke dat is de hillighe schrifft
De dit molennad vmmde drifft
Verstaet iww wol vp de olden vnd nyen ee
Dat dar io neen misloue inne schee
Weset mesters in der hillighen schrifft.
Metaphora, quae videtur durior, de variis Rotis cum per to-
tum librum regnet, ordini sacro *Rota molaris* assignatur. Plura
attuli de hoc libro, inter omnes Lubecenses forte rarissimo, in
Nachricht von dem Ursprung und Fortgang der Buchdruckerey in Lübeck
in pag. 176-183.*

*CHRISTOPH. SANDII Bibliotheca Antitrinitariorum. Freystad.
1684. 8. Cat. Mosh. p. 224: Lib. rar. Conf. VOGTIUS p. 602.
Non haec secunda tantum editio, sed prima etiam, quae itidem inter
libros meos est, libris raro occurrentibus accensetur. At secun-
da haec, licet sit recentior, maiori tamen studio fuit quaestra, &
varios quidem ob scriptores, varios etiam commentarios, quibus
Sociniani religionis ac coetus sui causam agere voluerunt. In his
est p. 101 sq. observatio de Typographiis Unitariorum in Polonia
et*

et Lithuanian; e qua propter homonymiam Virbis nostrae ista haec placet annotare: Officina Lithuaniae translata est in oppidum Losco, quod possidebat Kisza, Castellanus Vilhenas, nostrae confessionis. Postea Vilna, ubi typographus fuit Karcan nomine. Postea LVBECAM (est oppidum situm ad amnem Chronum dictum, alias Niemen, quod tum idem Kisza possidebat), cum Petrus Blasius Kmita Karcani filiam duxit ac typos accepit. Post ipsum filius eius, Iohannes Kmita; et post hunc Iohannes Langius Lutheranus. LVBECA autem tum jam parebat Janusio, Duci Radzivilio, Palatino Vilneni & summo exercitus Magni Ducatus Lithuaniae Generali, qui prognatus erat filia fratris, seu nepte, illius superius commemorati Kiszae. Haec quam Racoviensis diutius duravit: nam post illam disturbata, Responsio ad MEISNERI libros ibi completa est, ac prolixa SCHLICHTINGII praefatio ibidem excusa. Sed etiam partim horribili peste, partim irruptione Moschorum, anno 1655, vel 1656 defit. Luculentam & certam horum verborum declarationem alii relinquam. Mihi ad finem est properandum. Id vnicum modo adiicio, quod Theatri Honoris, p. 11. adducti, auctor WLSON scriptus, in Privilegio Regio Vulsone exprimatur.

Superfunt, praeter VANINIANOS, libri rariores alii, dummodo tales sint, quales mihi experientia, multarum rerum magistra, edocto esse videntur. Diversa enim esse eruditorum de libris iudicia, atque alios in nonnullis regionibus ac locis pro raris, alios in quibusdam provinciis ac vrbibus esse quotidianos, notum est. Vnde hic de nonnullis libris hoc fertur iudicium, illic alio plane modo iudicatur. Me quod attinet, nemini movebo litem, etiam si de libris aliquibus foverit diversam a mea sententiam. Ille scilicet suis ntititur rationibus: ego nitor meis. Vterque differentem potest habere experientiam, quam suo loco relinquendam esse, arbitror. Me interim hoc discrimen non absterrebit a continuatione huius laboris, siquidem proxima occasione, si benignissimo Numini placuerit, de Indice III Librorum rariorum consignando cogitabo.

Nunc a libris rarioibus avocor ad casum rariorem, quo ut iure laetor, ita bene ac feliciter cum mihi eventurum esse, divina fretus gratia, spero. Sub initium huius opellae iam praedicavi coelestem favo.

favorem, quo licuit bona spei Filios ad eandem ducere cathedram, quam Patres optimi, me itidem duce, consenderunt. Est inter illos decus hodie ordinis sacri, quod honoris causa iubet mentionem facere Viri admodum reverendi, amplissimi & paeclarissimi DN. AD DE BERNHARDI BVRGHARDI, Pastoris Petrini meritis per insignibus conspicui, qui d. VIII. Septemb. An. MDCCXXIX. Viros eruditos sibi cognomines *Oratione de Meritis clarorum BVR-CHARDORVM in rem sacram et literariam collaudavit*, atque iter Academicum ingressurus Muisis parvis simul honestissimo ritu vale dixit. Vid. quae scripsi Meditari. Exeget. P. II. p. 472. sq. Biblioth. Lubec. Vol. X. p. 34¹. Hunc Patrem optimum (quem DEVS servet atque omni felicitatis genere abundare sinat!) laudatissime imitari studebunt Filii, virtutibus, quibus gaudent, conspicui, sedulo finis opus coronantis rationem habituri. In pace itaque a nobis discedent, doctores patrios cum Academicis feliciter commutaturi. Fiet hoc ex voto nostro in actu publico, qui divino auxilio perendie instituetur. In eo uterque orator Patriam spectabit, atque proferet nonnullas, sed fine omni πατριδουανια, quae ei ad decus & honorem valent. Natu autem maioris,

AD DE BERNHARDI BVRGHARDI,

Lubecensis,

labor, omnes quatuor Eruditorum ordines, delectu habito, respiciens, in eo versabitur, ut Oratione publica

Quatuorviri Lubecenses Libris editis immor- talem famam nacti

concelebrentur, et AVGUSTI PFEIFFERI quidem Theologi, IOHANNIS MARQVARDI, Iureconsulti, IOHANNIS HENRICI MEIBOMII, Medici, atque IOHANNIS KIRCHMANNI, Philosophi et Philologi, laudes, quas Libris pereximiis in orbe literato compararunt, iure meritoque renoventur. Natu vero minoris

IO-

IOHANNIS HENRICI
BURGHARDI,

Lubecensis,

studio, non minus, aequo ac illo, quo antiquitates eruditae investigantur,

Antiquitatis literariae Lubecensis specimen

proponetur. Labores, fateor, sunt iuveniles: at nihil secius industriam, in iuvenibus quoque praedicandam, et honestum erga patriam affectum declarabunt. Merentur itaque, nisi me omnia fallunt, Vestram, MAGNIFICI ET ILLVSTRES DNN. CONSULES, summe venerab. DN. PRAEPOSITE, generos. DN. DECANE, summe rever, atque excellentiss. DN. SVPERINTENDENS, nobiliss. consultiss. et experientiss. DNN. SYNDICI ac DOCTORES, admodum rever, et praeclariss. DNN. SENIOR, PASTORES et SYMMYSTAE, nobiliss. generos. prudentiss. atque ampliss. DNN. SENATORS, PROTONOTARIE et SECRETARII, vt et omnes, qui rebus etiam literariis Lubecensibus delectamini, benevolentiam, humanissime commonistrandam, quam precibus meis Oratoribus, quorum conatus honestissimi sunt, obventuram esse, plane confido.

P.P. Lubecae, d. XXVII. Mart. A. MDCLXII.

Genuitum in L. quodvis eiusdem immiti.


IO

Nr 113.
S. 80



n. 5.







39

ΣΥΜΜΙΚΤΑ LIBRARIA,
SIVE
LIBRORVM RARIORVM
INDEX II.
SELECTIS OBSERVATIONIBVS INSTRVCTVS.

QVEM

A C T VI SOLENNI
ORATORIO

D. XXIX. MART. A. MDCCLXII. HLQC. HAB.

PRAEMITTIT

IO. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBECA. RECT.



LVECAE.

TYPIS GREENIANIS.

